

onum condecoretur.¹⁰³ — Et proprie, quia haec quaesita non recte intellecta fuerunt, causa provinciae, etsi ipsa iura reapse possidebat, declinare coepit. Nam ipse Generalis Ordinis primum ejus quaesitum interpretavit ut tendentiam se subducendi a potestate superiorum generalium; alterum autem ut periculosum et destructivum auctoritatis Vicarii Apostolici; quoad jura autem ut examini subjicerentur.¹⁰⁴

Et revera hoc eodem tempore (1835) episcopus de actione ablegatorum suspicans a S. Congregatione quaerit, ne audiantur ipso inconsulto et deinde se defendit de quibus se accusatum esse suspicabatur.¹⁰⁵ Ex altera autem parte commissarius visitator provinciae puncta lamentationis ejusdem misit, in quibus jura ejus laeduntur. Conquaeritur nempe de arrepto jure disponendi parochos,¹⁰⁶ de ingerentia episcopi in res ordinis;¹⁰⁷ de ejus fastu et pompa; de electione officialium e gremio religionis absque cointelligentia cum eorum superioribus.¹⁰⁸

Nunc S. Congregatio revera examinare fecit jura utriusque auctoritatis secundum prius lata decreta, et reapse omnia in favorem jurium provinciae erant. De parochorum nominatione, post diligens examen, sequitur haec conclusio:

¹⁰³ Archivum Prop., Acta, 1835, v. 198, f. 200—201; Jelenić,

¹⁰⁴ Archivum Prop., Acta, 1835, v. 198, f. 194r ss.; f. 200r—201r.

¹⁰⁵ Archivum Prop., Acta, 1835, v. 198, f. 195 sq. — enarratio ponentis in sessione Congregationis ex littera Barišić: »D'altronde sostiene che tutto ciò che egli ha fatto non può giustamente dirsi che offendere i privilegi di veruno, perchè raggiarsi in materia di stabilimento de parochi, di località delle case parochiali, del consenso da richiedersi da esso nella erezione di chiese, o cappelle, nell'insistere che nulla si stampi senza sua approvazione.«

¹⁰⁶ »Quod juvenis episcopus praetendat suum esse pro arbitrio disponere, dislocare, amovere et confirmare Parochos, ac cappellanos. Archivum Prop., Acta, 1835, v. 198, f. 204r.

¹⁰⁷ »Quod juvenis episcopus ipsos guardianos pro suo libitu ponendos exigat« — Ibidem, f. 204r.

¹⁰⁸ »Quod, tam contra ordinationem Concilii Tridentini quam benignum rescriptum S. Congr. de Propaganda fide omnes suos officiales, id est Secretarium, Vicarium generalem, et tres vicarios foraneos absque ulla cointelligentia cum Praelato provinciae constituerit, et quasi ab obedientia sui superioris exemerit. Ibidem, f. 204v.